



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Qvæstio I. Existentia & quidditas gratia sanctificantis per quam formaliter
causatur iustificatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

intellectum ingreditur, inuadit voluntatem, docet & delectat, vincit & placet, suadet & persuadet, renebras discutit ardorem accendit, docet intellectum, cordi dominatur, dat cognitionem, inserit amorem excitat dormientem, languentem eleuat, sonat vt tonitru, lucet vt fulgur, inflammat vt fulmen, soluitur in imbrem, in grandinem spargitur, in mel dulcescit, in rorem liquefit. Eloquium scilicet Dei quod mittit in terras *Velociter currit sermo eius, qui dat nitem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit: mittit crystallum suum sicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis sustinebit: emittet verbum suum & liquefaciet ea, stabit spiritus eius, & fluent aque*, sic enim mirabiliter gratiam explicat August. in Psal. 147.

Germanæ proprietates, & prædicata gratiæ sex potissimum sunt.

Primo eius necessitas quod ad omnia bona opera faciendâ, ad vitandâ omnia peccata, ad virtutes omnes acquirendas, ad omnia merita, ad cognitionem veri, ad amorem boni, denique ad omnia ita necessaria sit, vt ad singulos actus nostros requiratur eius præsentia, & auxilium sine quo nihil fieri potest quod laude aut præmio dignum sit.

Secundo eius liberalitas, quod ad omnia bona opera semper præstet sit omnibus, quia ille sol est quem oriri quotidie facit Deus vt spargat vndique lumen suum. Omnibus, inquam, ad omnia, omni tempore quo ties scilicet ingruit necessitas, vel turbat tentatio, vel instat præceptum, illuminat omnem hominem splendor hic diuinus, & non est qui se abscondat à calore eius.

Tertio eius inæqualitas, alijs enim Deus copiosissima largitur dona gratiarum, & trahit eos in vinculis amoris, alios vocat sed remissiùs, languidiùs excitat & rariùs quod ita certum est vt nihil frequentius habeat scriptura, præsertim Apostolus in tota epistola ad Romanos.

Quarto eius omnipotentia, vt loquitur S. Prosper, nihil videlicet adeo est difficile quod non efficiat, nihil durum quod non toleret, nihil imperuium quod non penetret. Quidquid sancti omnes egerunt mirabile, quidquid tolerarunt difficile opera fuerunt gratiæ Dei, & argumenta eius omnipotentia, omnia possum in gratia quæ me confortat.

Quinto eius infallibilitas, semper enim insuperabiliter & indeclinabiliter assequitur suum finem si efficax est.

Sexto eius suauitas, quia non pugnat, neque superat nisi delectando.

Effectus. Effectus eius nihil attinet dicere, sunt enim omnia bona opera quibus iustificamur, omnia merita quibus coronamur, de quibus modo dicendum est.

DISPUTATIO III.

De primo effectû Gratia Dei.

Qui est perfecta hominis iustificatio, & sanctificatio.

S. Thomas, quæst. 110. 112. 113.

Iustificatio & sanctificatio.

IXPO SVI hæcenus auxilia interna gratia mouentis ad bonum, nunc ad præcipuum eius fructum & scopum explicandum progredior, qui sine dubio est hominis iustificatio, sanctificatio, regeneratio, quos enim vocauit, hos & iustificauit per inhabitantem videlicet spiritum, & gratiam illam sanctificantem quam merito sanctus Petrus vocat magnum & pretiosissimum

Tom. 12

Dei donum per quod efficitur in nobis consortium diuinæ naturæ, ac germana eius similitudo, diuinum semen in nobis manens, pignus hereditatis, adoptio filiorum.

Tradiderunt eius explicationem accuratissimè doctores Catholici, propter sectarios qui turpissimè circa illam errant. Docuit verò illam plenissimè Concilium Tridentinum sess. 6. vbi aduersus hæreticos huius temporis eximie defenditur thesaurus iste iustorum, & Catholica doctrina de iustificatione mirabiliter declaratur, videtur autem tota reuocari commode posse ad duo capita, primum sit gratia sanctificantis existentia & propria quidditas. Secundum gratia sanctificantis causæ.

QUESTIO I.

Existentia & quid sit gratia sanctificantis per quam formaliter causatur iustificatio.

ORdior ergo ab existentia & conceptu quidditativo qualitatis illius mirabilis ac planè diuinæ quæ causatur in nobis esse diuinum, & generatur nouus ille homo, non iam amplius homo, sed planè Deus: illa enim est quæ per excellentiam appellatur gratia, sanctitas, iustitia, de qua nunc quatuor video quæri posse. Primo an sit talis aliqua qualitas realis iustificans hominem formaliter. Secundo qualitatis illius propria quidditas. Tertio qualitatis illius primarius effectus formalis negatiuus. Quarto effectus eius formalis positiuus.

SECTIO I.

Existentia gratia habitualis quæ sit formalis iustitia.

Certum est primo, hæreticos huius temporis errorasse multipliciter circa iustificationem adeo vt vix in vilo alio dogmate turpiùs delirarent: tria verò potissimum sunt circa causam eius formalem in quibus repugnant doctrina Catholica. Primo enim negant vllam in iustificatione gratiam infundi nobis in hærentem, quæ interius renouemur, & fiamus etiam intrinsecè sancti & iusti, nihil enim aliud esse iustificationem, quàm extrinsecum fauorem Dei, & declarationem aliquam iustitiæ, non autem internam eius acquisitionem. Secundo volunt imputari duntaxat nobis externam iustitiam Christi, cuius sub vmbra lateant peccata nostra, neque amplius videantur. Tertio negant gratiam vllam esse in nobis supernaturalem, & permanentem, vel si aliqua illa esset, certè illam non esse aliquid distinctum ab ipsa Fide, vt vocant iustificante. Ita enim docent Calvinus, Bucerus, Melancthon, relati à Bellarmino, Vega, Suare, Becano, Vasque.

Certum est secundo, veritatem Catholicam de causa formali iustificationis erroribus illis oppositam tria complecti capita quæ habentur in Tridentino sess. 6. c. 7. Primum est quod iustificatio non est sola remissio peccatorum, sed est etiam interna sanctificatio & renouatio totius hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ ac donorum, quibus homo ex iniusto fit iustus, ex inimico amicus, vt sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Secundum est formam quæ iusti constituimur esse iustitiam Dei non quæ ipse iustus est, sed qua nos efficit iustos, vt per eam renouemur spiritu mentis nostræ, neque solum reputamur iusti, sed reuerà etiam iusti nominamur & sumus. Tertium est illam gratiam esse qualitatem supernaturalem, realem, permanentem in anima, neque illam esse fidem, sed donum aliquod ab ea distinctum. Atque adeo iustificationem

Delirium hæreticorum.

Iustificatio complectitur tria capitula.

ficationem non esse aliud quam gratiæ internam acquisitionem, quæ prima erit iustificatio si habeat adiunctam peccati remissionem, & erit secunda si sit duntaxat augmentum gratiæ.

Vnde prima nobis circa existentiam gratiæ huius est controuersia, vtrum perfectio quæ homo denominatur formaliter iustus & sanctus, sit externa solum Dei beneuolentia & fauor, vel ad summum Christi aut ipsius Dei iustitia nobis imputata, an verò qualitas aliqua physica, recepta in anima, & illam sui communicatione sanctificans, iustificans, deificans.

Ratio prima dubitandi.

Ratio dubitandi est primò, quia si ante Concilium Tridentinum nunquam colligi potuit efficaciter ex scripturis quod interna gratia renouans hominem distincta sit ab externo fauore Dei, certè neque colligi etiam potuit post Concilium. Certum autem est quod ante Concilium hoc non erat de Fide, neque colligebatur ex Scripturis, imò etiam plures Doctores Catholici post Concilium negant hoc esse de Fide ergo frustra nunc asseritur talis gratia.

Secunda.

Secundò, nulla etiam ratio probat necessitatem illius gratiæ internæ, ad hoc vt amemur à Deo, nam eo ipso quo amamus alterum, non imprimimus illi realem vllam qualitatem quæ ille amabilis efficiatur, quod etiam ne cessarium non est vt à Deo amemur, sed iustificari est de nouo amari à Deo, ergo iustificari, non est acquirere nouam qualitatem internam. Imò amor est aliquid posterius saltem natura quam obiectum amabile, propter quod scilicet amamur, gratia illa si detur est aliquid posterius amore cum sit eius effectus, ergo gratia non est obiectum amabile seu ratio amandi.

Tertia.

Tertio, si esset necesse ponere in nobis qualitatem aliquam habitualement, quæ dicamur iusti & sancti, præter ipsum actum bonum, esset etiam necesse admittere qualitatem habitualement quæ constitueretur mali & peccatores præter actum malum non retractatum: consequens illud falsum & absurdum, quia per solum peccatum non retractatum homo est habitualiter peccator, ergo per actum bonum non retractatum homo habitualiter erit bonus. Vnde omnino colligitur ex scripturis quod solus Christus factus nobis est iustificatio, & sanctificatio, & redemptio, & omnia, sola ergo eius iustitia nos permanenter iustificat.

Assertio prima.

Dicendum tamen est dari reuerà in omnibus iustis formam aliquam realem & inhærentem intrinsicè singulis, per quam intrinsicè iusti sunt & sancti, non autem per intrinsicum duntaxat fauorem & beneuolentiam, aut per iustitiam Christi imputatam. Vnde iustificatio non est solum remissio peccati facta per extrinsecum actum Dei, sed est suscipio nouæ ac physiciæ qualitatæ quæ forma est hominem sanctificans. Ita docent & fusissimè probant Catholici Doctores quos superuacaneum est referre.

Probat primò ex scripturis.

Primò enim probatur existentia huius gratiæ ex ijs Scripturis quibus proprius eius effectus describitur, per eam enim dicitur Deus venire ad nos, habitare in nobis, nos consecrare vt templa viuæ, regenerare nos in spem viuam, renouare spiritum, facere diuinæ confortes naturæ. *Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus: vos estis templum Dei, & spiritus Dei habitat in vobis qui est pignus hereditatis vestre: qui secundum misericordiam suam magnam, regenerauit nos in spem viuam, per quæ maxima & pretiosa vobis dona donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ confortes naturæ.* Deinde idem etiam significant ea nomina quæ dantur gratiæ, dicitur enim pignus hereditatis Ephesiorum 1. & 4. Dei semen in nobis manens 1. Ioannis

3. vnctio & signaculum 2. ad Corinthios 1. *Venit nos & signauit, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris:* fons aquæ salientis in vitam æternam Ioannis 4. Denique idem constat ex modo quo dicitur in nobis fieri talis gratia. Roman. 5. dicitur diffundi, charitas Dei diffusa est, &c. quam charitatem Augustinus lib. 5. de spiritu & litera c. 32. docet illam esse, non quæ Deus diligit nos, sed quæ efficit nos dilectores suos. Ad Titum c. 2. *Quem effudit in nos abunde per lauacrum regenerationis.* 1. ad Corinth. 6. *Ablut estis, sanctificati estis, iustificati estis:* 2. ad Corinthios 6. *epistola Christi estis vos, scripta non aramento, sed spiritu Dei viuæ,* quæ omnia falsa sunt si iustitia non est aliqua entitas animæ superaddita, sed sola condonatio peccatorum & extrinsecus Dei fauor vt expendunt optimè Bellarminus l. 2. de iustificatione, Canisius lib. 3. de Beata Virgine, Vega lib. 7. in Concilium Tridentinum c. 21. Valques disp. 202. Suares l. 7. c. 7. quomodo diffunditur, scribitur, vngitur, signatur, regeneratur, si extrinsecè duntaxat remittit peccatum.

Secundò ex Concilijs & Patribus constat veritas quam proposui: nam licet antiquiora concilia parum ad habitualement illam & permanentem gratiam attenderint, cum de sola ferè actuali gratia litigarent hæretici: ludicata tamen est probabilis ab Innoc. III. c. maiores de baptismo, & probata est in Concil. Viennensi vt habetur Clementina ad nostrum: sed demùm ita definita est in Conc. Trident. sess. 6. c. 5. & 7. vt rem faciant omnino certam de fide, vt tradunt Bellarm. Vega, Suar. Valent. licet immeritò Vafq. dubitet, verba enim allata initio clara sunt non solum pro paruulis de quibus ferè solis egerat Concilium Viennense, sed etiam pro adultis, & Canone 10. anathema dicitur ei qui assereret homines sola peccatorum remissione iustificari exclusa gratia & charitate, quæ per Spiritum Sanctum in eorum cordibus diffundatur. Consonant etiam sancti Patres qui de hac qualitate mira dicunt vt patebit ex sequentibus, v.g. Dionysius cap. 2. Hierarchiæ Ecclesiasticæ iustificationem vocat sacratissimam & diuinissimam operationem quæ diuinus in nobis status efficitur, & hunc statum appellat natiuitatem diuinam. Macarius gratiam hanc appellat arcana vestimenta cælestis pulchritudinis: Gregorius Nyssenus l. de perfectæ hominis forma, vocat puritatem à Christo fonte deriuatam.

Tertio probant etiam optimæ rationes, primam vrget optimè S. Thomas art. 1. quia non potest Deus amare hominem amore supernaturali, nisi eum vel inueniat, vel reddat dignum amore supernaturali, & obiectum proportionatum tali amor, non potest esse amabilis tali amore, ac proportionatus cum illo, sine qualitate supernaturali superaddita, cum ergo non inueniat illam qualitatem, priusquam amet, producit sine dubio illam dum amat & illam ita ponit in homine prius indigno & difformi, vt illum reddat dignum complacentia cordis sui. Accedit quod amor Dei semper efficax est, neque potest esse similis nostro qui semper inanis est, neque amando facit amore dignum, diuinus semper beneficus & fecundus amando facit amore dignos quos amat, alioqui non amaret nisi amore indignos. Altera ratio petitur ex varijs muneribus gratiæ, nam primò perfectam efficit cum Deo beneuolentiam, ad eam autem exigitur similitudo cum dilecto quam non efficit nisi qualitas diuinitus superaddita, quæ sit diuinæ pulchritudinis expressio perfectissima. Secundò per gratiam filij efficitur, exigit autem filiatio participationem naturæ. Tertio iustitia est, ad eam autem requiritur vt homo interius bene affectus sit ad opera iustitiæ, quod non efficitur nisi per aliquid intrinsicum & immanens.

Ex Concilijs & Patribus.

Probat rationibus.

Ad

Solutio
primæ du-
bitationis.

Ad primam Respondeo quod licet ante Concilium non fuerit fortasse de Fide quod datur in omnibus iustis aliquid intrinsecum & inherens animæ, per quod iustificemur, post Concilium tamen certa omnino est, & Catholica hæc veritas, ut recte Authores citati docent. Si qui autem videntur cum Vasque negare quod id sit de Fide, illi de sola loquuntur forma permanente, sed non dicunt tamen unquam quod homo iustificetur per aliquid pure extrinsecum, quia hoc hæreticum prorsus esset.

Solutio
secundæ.

Ad secundam Respondeo magnam esse inter diuinum & nostrum amorem differentiam. Primum, enim nostrum præcedit ratio in eo qui amatur propter quam diligitur, amor enim noster inuenit quod amet non autem facit; at diuinus amor non sic, non enim in amato rationem inuenit amandi, sed ipse amabilem facit hominem & amat: utigitur Deus hominem supernaturali amore diligit, nullum præcessit in eo bonum supernaturale, sed ipse amando facit. Vnde Augustinus in expositione epistolæ ad Romanos exponens illud: *Dilectis à Deo*, recte annotat, dictum non esse (diligentibus Deum,) sed, dilectis à Deo, quia enim dilecti sunt propterea diligentes fiunt. Deinde alterum discrimen est inter amorem diuinum & nostrum, diuinus enim semper efficax est, quia nos diligendo facit nos dignos suo amore, qui prius dilexit indignos, non datur ergo gratia nobis ut Deus nos amet, sed datur quia nos amat.

Tertiæ.

Ad tertiam Respondeo magnum discrimen esse inter bonitatem & malitiam, nam ad illam certum est multo plura requiri quam ad istam, unde mirum non est quod per actum malum præteritum & non condonatum constituamur reuera mali & peccatores, quamvis per actum bonum præteritum & non retractatum, non constituamur iusti, & dilecti à Deo. Deinde quando nos Deus amat, facere nos potest reuera bonos, quando propter peccata nos odio habet, non potest efficere nos malos. Christus totius iustificationis causa est meritoria, & hoc vnum colligitur ex omnibus illis Scripturis quibus sectarij fulciunt errorem suum de iustitia Dei, & Christi nobis imputata.

SECTIO II.

Quidditas gratiæ sanctificantis.

S. Thom. quæst. 10. art. 2.

EX hæcenus dictis liquet gratiam illam quæ efficitur formaliter iusti, esse qualitatem aliquam realem inherens animæ, atque adeo illam esse spirituales & supernaturales, alioqui non inhereret animæ, neque ratio esset ob quam digni essemus Dei amore supernaturali; nunc ut explicetur quid illa sit, dicendum Primum est de distinctione illius ab actibus supernaturalibus, siue virum qualitas illa sit permanens in anima, an verò transeat cum ipso actu. Secundum, de distinctione illius ab habitu fidei, & ab habitu charitatis. Tertiò, quale sit proprium eius munus, & verus effectus formalis.

§. I.

Virum gratia sanctificans sit qualitas permanens an verò solum actus supernaturalis.

Sensus
quæstio-
nis.

Multi Catholici Doctores cum Vasque *disp. 203.* fatentur certum quidem esse quod quilibet homo iustus siue parvus fuerit, siue adultus, iustificatur permanenter per qualitatem habituales impressam

anima, sed negant tamen esse de Fide quod adulti extra Sacramentum iustificentur per lique habitum permanentem infusum, non autem per solam contritionem, & dilectionem Dei super omnia, nam quamvis id certum sit de illis qui iustificantur in Sacramento, non repugnet tamen Concilio qui diceret adultum iustificari extra Sacramentum dilectione Dei super omnia. Quæ difficultas soluta manere posset ex iis quæ tertia parte disputata sunt de contritione. Vbi ostensum est illam non esse formam quæ expellatur peccatum formaliter.

Ratio tamen dubitandi breuiter primò est, quia non est necessaria forma permanens ut homo iustificetur si contritio & dilectio super omnia sufficere possit ad expulsionem peccati, sufficere autem, colligi potest ex Scripturis & probari ratione, dicitur enim in Scriptura quod: *Multitudinem delictorum operit charitas*: Deinde *qui Deum diligit vnus spiritus est, manet in Deo & Deus in eo*, diligit ut amicum: Imò si homo habens peccatum mortale subito raperetur ad videndum Deum, sine infusione gratiæ habitualis, ille mundaretur haud dubiè à peccato, non enim esse posset summè miser & summè beatus, non posset autem mundari aliter à peccato quam per actum charitatis, ergo actus ille sufficit ad iustificationem.

Secundò, definitio Concilij Tridentini non facit rem esse de Fide magis quam Scriptura, si non loquatur clariùs quam Scriptura, dicatque formam iustificantem esse aliquid permanens, non videtur autem Concilium dicere id clariùs quam Scriptura licet dicat Concilium gratiam istam esse aliquid permanens & intrinsecum, nullibi tamen dicit eam esse aliquid permanens ad modum habitus.

Tertiò, non videtur necesse ponere qualitatem. Ii quæ physica, cur enim sufficere non potest connotatio aliqua noua, & ens morale.

Dico primò, formam quæ homo iustus formaliter constituitur, esse qualitatem permanentem, ab actibus ipsis distinctam, idque non esse certum duntaxat Theologicè, sed etiam esse prorsus de Fide.

Prima pars, quod forma sit permanens, & habitus impressus animæ ab omnibus admittitur probatque potest ex omnibus illis Scripturis quibus eius existentia probata est, nam verbi gratiæ dicitur 1. Ioan. 3. quod *Omnis qui natus est ex Deo habet semen ipsum in se manens*: Semen autem hoc quo diuinum in nobis esse nascitur, dixi esse gratiam quæ asseritur à S. Ioanne non esse aliquid subito transiens, sed stabile ac permanens. Dicitur per eam habitare in nobis Spiritus Sanctus, & corda nostra constituere templa sua & sacraria: inhabitatio verò dicit permanentiam unde gratiam hanc vocat Augustinus gratiam inhabitacionis, quo modo non vbique sit Deus, qui per regenerationis gratiam est vbique. Dicitur etiam diffundi gratia in cordibus, imprimi, regenerare, renouare, esse signaculum & vnguentum. Deinde probatur illis omnibus argumentis quibus ostensum est contritionem non esse id quo peccatum formaliter expellitur, sed meritorie solum & dispositiue ut videtur tradi expressè in Trident. *sess. 6. cap. 7.* ut ostendi alibi.

Secunda pars asserens id etiam esse certum ex Fide docetur à Bellarmino *lib. 1. de gratia cap. 1.* Suarez *lib. 6. cap. 3.* Valentia, & Vega, contra Vasquem, Sorum, Canum, Medinam, qui sola certitudine Theologica sunt contenti. Probatque quia Concilium Tridentinum loquitur indifferenter de omni iustificatione tum paruulorum tum adultorum tum ea quæ sit per Sacramentum, vel per eius votum, sed iustificatio paruulorum & illa quæ sit in Sacramentis sit per aliquid permanens, ergo iustificatio de qua loquitur Con-

Prima ra-
tio dubi-
tandi.

Secunda.

Tertia.

Assertio
bipartita.Probat
prima pars.Probat
secunda
pars.

lium sit per aliquid permanens non autem per actum transeuntem; nullibi enim Concilium duas ponit formas iustificantes, cum tamen eo loco dicat quod causa formalis iustificationis est iustitia Dei quâ nos iustos facit, asseritque illam diffundi in cordibus eorum qui iustificantur, & ipsis inhaerere si enim non de omni iustificatione Tridentinum loqueretur, non posset probari ex eo loco, quod adulti iustificarentur semper per aliquid intrinsecum & inhærens.

Solutio
primæ du-
bitationis.

Ad primam Respondeo satis constare ex tractatu de contritione, quod dilectio super omnia sufficit ad iustificandum dispositiue, non autem ad iustificandum formaliter.

Secundæ

Ad secundam Resp. doctrinam illam de forma iustificante multò clariùs explicatam esse in Concilio & distinctiùs quàm in Scriptura, non enim dicit tantum gratiam hanc diffundi, sed inhaerere, produci per Sacramenta. Vnde licet quoad rei veritatem doctrina illa semper certa fuerit, promulgatio tamen eius post Concilium facta est euidentior.

Tertiæ.

Ad tertiam Respondeo gratiam non esse connotationem aut ens uerale, alioqui non deberent ei tribui effectus formales physici, regeneratio, renouatio, vnctio, signaculum.

S. II.

Verum gratia sanctificans sit qualitas distincta ab habitu charitatis.

Sensus dif-
ficultatis.

Habeo ex hæcenus dictis quod gratia ista iustum formaliter reddens hominem qualitas est realis & permanens, quæ nunquam disiungitur ab omnibus habitibus virtutum ut dicitur *scilicet* 4. Difficultas autem nunc est vtrum illa sit vnus aliquis ex illis habitibus per quos efficiuntur immediate actus virtutum, an aliquid ab omnibus distinctum & illis prius, eo modo quo anima est prior potentiis operatiuis, & prima illarum radix. Censent Hæretici huius temporis gratiam hanc non esse aliud quàm fidem, contra quos dicitur in sequentibus. Quod autem illa nihil sit distinctum ab habitu charitatis censent plures à Catholicis Theologis volentes qualitatem hanc gratiam vocari quatenus facit nos diligere à Deo, charitatem autem quatenus facit Deum diligere à nobis. Quæ duo semper coniuncta sunt.

Ratio pri-
mæ dubi-
tandi.

Ratio dubitandi est primò, quia frustra distinguetur qualitas hæc ab habitu charitatis si nihil omnino tribuit Scriptura gratiæ, quod non tribuat charitati, nihil autem tribui vni quod non tribuatur quoque alteri, probari facile potest: nam gratia dicitur constituere Dei filios, hoc autem charitatis esse munus proprium dicitur 1. Ioannis 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater ut Filij Dei nominemur & simus.* Gratia diffunditur in cordibus & efficit sanctos, id ipsum charitati tribuitur Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris: gratia regenerat,* 1. Ioan. 4. *Omnis qui diligit ex Deo natus est,* gratia facit nos à Deo diligere, ego diligentes me diligo inquit Sapientia cap. 8. Prouerb. 8. eadem ex Augustino proferri possent, qui charitati tribuit omnes effectus gratiæ proprios, ait enim illam esse perfectam iustitiam, per eam separari filios Dei à filiis perditionis, eam esse eminentissimam inter omnia, nullum esse isto Dei dono excellentius.

Secunda.

Secundò, videtur idem indicari in Tridentino *sess.* 6. cap. 7. ubi dicitur iustificationem in nobis fieri dum sanctissimæ passionis merito, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, deinde dicitur; quod in iustificatione accipit homo Fidem, Spem, Charitatem, nulla facta mentione illius gratiæ: & cap. 10. docet quod incrementum iustitiæ ab Ecclesia postulatur, dum ita orat da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum.

Tertiò, rationes optimæ idem probant, quia illud solum est gratia, quod solum intinere nos cum Deo vnit, hoc sola facit charitas, non enim coniungi Deo possumus nisi per operationem, quæ etiam sola participamus naturam diuinam. Deinde illud gratia est quod facit nos Deo dilectos & diligibiles, hoc facit charitas quæ efficitur verè recti & digni Dei amicitia. Denique nunquam separantur charitas & gratia, ergo nihil est necesse ponere inter illas discrimen: imò inter omnia Dei dona perfectissima charitas est, ut habetur ex Apostolo, ergo illa est gratia, quæ nihil est sublimius in toto ordine supernaturali.

Dico secundò, probabilius esse quod gratia sanctificans est qualitas distincta realiter ab habitu charitatis, residens in substantia ipsius animæ, tanquam primaria forma vitæ supernaturalis, & radix omnium habituum supernaturalium. Ita docent cum S. Thomas art. 3. Suarez lib. 6. cap. 12. Sotus, Valentia, Thomistæ omnes, contra Scotum, in secundum distinct. 27. quæst. unica: Bellarminum, lib. 1. de gratia cap. 6. & magis fauere videtur Vasques disp. 198.

Ratio autem peti primo potest ex modis quibus vtitur Scriptura loquens de gratia, dicimus enim per gratiam fieri consortes diuinæ naturæ, non autem solum operationis; dicimus Filij Dei, dicimus nasci & regenerari propter vitam diuinam, & esse supernaturale quod nobis datur, sed per solam dilectionem non habemus participationem naturæ diuinæ ut est natura & radix intellectus, sed eius solum operationem participamus, amor enim Dei non est natura Dei neque amor natiuitas est noua, ergo gratia sanctificans non est sola charitas. Secundò idem colligitur ex doctrina sancti Dionysij cap. 2. *Ecclesiastica Hierarchia parte prima.* ubi explicans progressum vitæ spiritualis in nobis & generationis diuinæ, omnino illam distinguit à charitate, eo modo quo potentia operatiua supponunt animam, dicit enim in primis quod ut diuine operemur, necessaria est sacratissima illa & ineffabilis operatio quæ diuinus in nobis stans efficitur, Deinde addit, si enim diuinus stans diuina natiuitas est, nunquam ille fiet ex his quæ à Deo tradita sunt, neque operabitur qui nec diuinum hunc statum consequutus est. An verò nobis quoque ipsi non dicimus, prius esse necessarium humanæ vitæ statum, ut sic demum possumus humana operari, & concludit: *Vnumquodque ea solum agit quæ status sui sunt,* quasi diceret nos per gratiam constitui debere in statu quodam supernaturali & diuino, hoc autem non posse fieri quin detur in nobis aliquod fundamentum, & veluti forma talis vitæ, vnde postea profuant potentia, ac operationes diuinæ.

Secundò, in eo principio fundatur ratio à priori quæ vtitur S. Thomas quod virtutes infuse supponere debeant naturam quandam & formam supernaturalem, cui connaturales sint illæ potentia: virtus enim est dispositio perfecti ad optimum, id est subiecti quod perfectum est ad operationem optimam & connaturalissimo modo faciendam, vnde arguetur, prior debet esse in vita spirituali & diuina, forma quæ det operari supernaturaliter & diuinè, quàm forma quæ det operari diuinè, sicut in esse naturali videmus formam esse priorem potentiis: sed si charitas idem sit cum gratia hoc verum non erit, ergo charitas non est gratia; alioqui non erit in nobis esse diuinum quasi connaturaliter & completè infusum. Confirmatur, quia gratia est primum fundamentum totius esse supernaturalis & diuini: sed charitas esse non potest primum fundamentum, cum sit virtus appetitiua supponens intellectum, ergo charitas non est gratia. Denique cum hæc forma possibilis sit quæ tribuat diuinum esse, eoque modo connaturalis intelligatur in nobis diuinum esse

Ratio à
priori.

esse, & absconditus cordis homo, certe satius videtur gratiam ponere distinctam à charitate quàm utramque confundere.

Solutio
primæ du-
bitationis.

Ad primam Respondeo nomine (Charitatis) in Scripturis ferè intelligi actum charitatis, cui tribuuntur vt causæ meritoria non tanquam causæ formali, omnes effectus qui conueniunt gratiæ vt formæ. Deinde dico nomine (Charitatis) non intelligi solum actum quo inclinamur ad diligendum Deum, sed totum illum statum amicitia, qui intercedit inter nos & Deum: sic enim charitas sumpta pro statu amicitia, complectitur gratiam & omnes habitus, vnde nec mirum est quod illi tribuantur omnes effectus qui tribui solent gratiæ.

Secundæ.

Ad secundam Respondeo Tridentinos Patres consulto abstinere voluisse ab ea controuersia, vnde aliquando visi sunt gratiam diuidere à charitate, alioqui visi sunt confundere sumentes charitatem non pro solo habitu operatiuo, sed pro cumulo perfectionis qui efficit nos Dei amicos.

Tertiæ.

Ad tertiam Respondeo quod reuerà loquendo contrariè per se in nobis gratia deberent etiam tolli Fides & Spes; sed nihilominus ex sola indulgentia Dei, certum est illas non destrui per quodlibet peccatum, vt facilius peccator redire posset in priore vitam. Deinde nego nos posse coniungi Deo, aut participare vitam eius per solam operationem, quia magis illa participari potest à nobis per radicem diuinarum operationum. Charitas facit nos meritorie Deo diligibiles, gratia verò formaliter eo modo quo postea explicabitur. Fateor nunquam separari gratiam à charitate & donis Spiritus Sancti, nego autem illas non distingui propter diuersos effectus formales: quomodo autem gratia excedat omnia dona Dei dicitur in sequentibus.

Gratia sanctificans
quid sit.

Quæ hæcenus dicta sunt omnia ferè pertinent ad genericam rationem gratiæ sanctificantis, est enim qualitas realis, permanens, ab operatiuis habitibus distincta, sed non constat quænam sit propria eius ratio & differentia quæ constituitur specialis eius character, pender verò tota illa ratio à duplici effectu formali huius gratiæ, vnus negatiuus est nempe remissio peccati, alter est positius nimirum filiatio adoptiua, perfecta iustitia, similitudo cum Deo & participatio eius naturæ de quibus sigillatim dicendum est.

SECTIO III.

De primo effectu formali gratiæ sanctificantis qui est remissio peccatorum.

S. Thom. quæst. 113.

Multiplex
error se-
ctariorum.

Certum est primò, errasse multipliciter sectarios circa iustificationem impij à peccato. Primò, enim negant peccata vnquam remitti, hominem enim manere semper inquinatum peccatis quæ semel commissæ sunt. Secundò, volunt peccata illa regi duntaxat & non imputari propter iustitiam Christi imputatam peccatori, quasi eius esset. Tertiò, asserunt immun-da etiam & inquinata esse omnia illius opera, & peccata mortalia, tamen propter imputatam iustitiam Christi, obesse illa non possint prædestinatis, & habentis fidem Mediatoris.

Catholica
veritas.

Certum est secundò, Catholicam veritatem de remissione peccatorum oppositam illis erroribus tria etiam potissimum continere capita quæ habentur in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 4. 7. & 14. & variis canonibus. Primum est peccata quælibet in iustificatione non regi tantum vel non imputari ad poenam, sed tolli reuerà & deleri, itavt nihil sit damnationis iis qui sunt in Christo Iesu, quos nimirum eripuit Deus

de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Secundum est peccata illa quantumcunque sint grauia, & numero infinita, ea tamen omnia simul remitti & statim eo ipso temporis momento quo gratia infunditur. Tertium est remissionem illam peccati non esse fauorem duntaxat aliquem extrinsecum, sed veram sanctificationem & renouationem interioris hominis.

Ex tribus his capitibus quæcunque spectabant ad duo prima omnino exposita sunt in tractatu de pœnitentia, vbi primò statuebam omnia peccata mortalia, statim, simul, est infallibiliter deleri per pœnitentiam. Secundò, formam quæ expelluntur peccata formaliter non esse actum pœnitentiæ, vel dilectionem super omnia. Tertiò posse diuinitus deleri peccatum sine infusione vlla physicæ qualitatæ, & sine vlla mutatione peccatoris per solam condonationem extrinsecam, quæ omnia fusè disputata sunt eo loco. Vnde solum mihi superest tertium illud caput de causa formali expulsiua peccati, quam dixi esse gratiam sanctificantem infusam animæ, vbi tria sunt difficilia. Primò, vtrum gratia peccatum expellat formaliter, an verò meritorie solum & dispositiue. Secundò, vtrum se sola illud expellat, sine alio vilo fauore ac condonatione extrinseca. Tertiò, vtrum saltem diuinitus possit gratia esse simul cum peccato.

§. I.

Vtrum gratia peccatum expellat formaliter, an meritorie.

Effectiue tantum & meritorie peccatum gratia expellet, si moueat ex se Deum ad tollendum & condonandum peccatum: expellet formaliter si expellat propter impossibilem saltem naturalem cum peccato, sicut calor expellit formaliter frigus ab eodem subiecto in quo stare naturaliter nequit cum frigore.

Status dis-
cussus:

Ratio ergo dubitandi est primò, quia si gratia causaliter formaliter remissionem peccati, propter impossibilitatem cum illa, infusio gratiæ simul fieri deberet cum remissione peccati, consequens illud absurdum est: nam si remissio peccati est prior infusione gratiæ, ergo non causaliter per illam, si est posterior, ergo in illo priori quo gratia præcedit remissionem peccati, peccatum & gratia sunt simul, quod absurdum est, si enim vno instanti peccatum & gratia possunt esse simul, possunt etiam semper esse simul.

Ratio pri-
ma dubi-
tandi.

Secundò, ens purè morale cuiusmodi est peccatum non potest ex se habere physicam repugnantiam cum entitate aliqua physica, nam ea quæ opponuntur contrariè debent esse sub eodem genere, gratia est ens physicum, peccatum est ens morale, ergo non opponuntur contrariè. Imò peccatum cum sit ens morale non expellit gratiam nisi demeritorie ac moraliter, ergo gratia etiam expellit meritorie ipsum peccatum.

Secundæ)

Tertiò, sequeretur etiam quod iustus etiam diuinitus non posset peccare: nam qui habet formam cum peccato impossibilem non potest peccare, v. gr. humanitas Christi, & voluntas beati non possunt peccare, quia formas habent impossibiles cum peccato vnionem scilicet hypostaticam, & amorem beatificum: sed gratia est per se forma impossibilis cum peccato, ergo iustus erit impeccabilis.

Tertia.

Quartò explicari non potest in quo consistat repugnantia illa gratiæ cum peccato, si enim gratia peccatum expellit per modum formæ, oportet vt ex sua natura repugnantiam habeat cum illo.

Quarta.

Dico primò, gratiam sanctificantem non meritorie solum & effectiue, sed formaliter expellere peccatum propter impossibilitatem saltem naturalem cum illo. Ita docent communiter Theologi cum san-cto

Afferio
prima.

Et Thoma art. 2. Suares, lib. 7. cap. 12. Bellarminus, lib. 2. de iustificatione. Valques disput. 204. Valentia & alij: contra Scotum, Ochamum, Gabrielem, Medinam, Conink, *disput. 22. de Charitate*, qui volunt repugnantiam peccati & gratiæ non esse nisi ex lege Dei, non autem ex natura ipsius gratiæ.

Probat
ex Concil.
Trident.

Ratio tamen est primò, quia ex Concilio Tridentino plene colligitur quod gratia sit forma expellens peccatum propter impossibilitatem cum ipso, utitur enim semper verbis quæ indicant causam formalem, verbi gratiæ, *sess. 5. Can. 5.* dicitur quod per gratiam baptisimi tollitur totum id quod veram habet rationem peccati, statimque additur, quod *Induementis novum hominem qui secundum Deum creatus est, eximus veterem hominem, & efficitur immaculatus, purus, innoxij, & Deo dilecti. & sess. 6.* cum dixisset Concilium cap. 4. Iustificationem esse translationem à statu peccati ad statum iustitiæ, & adoptionis filiorum Dei, docet postea cap. 7. causam formalem illius iustificationis esse gratiam, additque quod per susceptionem gratiæ ac donorum homo ex iniusto fit iustus.

Probat
ex effecti-
bus eius.

Secundò, ex effectibus formalibus positivis gratiæ colligitur etiam quod remissio peccati sit effectus eius formalis, gratia enim, ut docebo postea, efficit formaliter iustum Dei amicum, & Dei Filium, ergo tollit formaliter inimicitiam, iniustitiam, malitiam, Denique non est impossibilis talis entitas physica, quæ formaliter ex natura sua expellat peccatum, alioquin non hoc etiam præstaret unio hypostatica: est autem valde congruum perfectionem hanc gratiæ tribuere, cum in contrarium nihil obstat.

Solutio
primæ du-
bitationis.

Ad primam enim Respondeo eandem esse difficultatem de ordine inter generationem & corruptionem, & de unius contrarij expulsiōe per alterum contrarium: vera ergo responsio est quod licet eodem instanti temporis fiant introductio gratiæ, & remissio peccati, introductio tamen gratiæ prior est natura, quam remissio peccati quam causat. Neque tamen peccatum, & gratia sunt simul, quia in illo instanti naturæ quo gratia prior est quam expulsio peccati, est reuera expulsio peccati, sed dependenter à gratia, prioritas enim naturæ, prioritas est dependentiæ, seu prioritas à quo, non prioritas in quo ubi sæpè solet fieri æquivocatio. Non est verum quod peccatum eo instanti sit quo remittitur, cum enim gratia incipiat intrinsecè, necesse ut peccatum extrinsecè definat, atque adeò tunc quando peccatum remittitur, non dicatur quod & ultimò sit sed quod primò non sit.

Solutio
secundæ.

Ad secundam Respondeo probari eodem argumento posse quod unione hypostatica quæ physica entitas est, peccatum non destruitur. Dicendum igitur gratiam non esse rem purè physicam, sed rem partim physicam, partim moralem, seu physico-moralem est enim sanctitas, adoptio, iustitia: non repugnat igitur peccato secundum entitatem purè physicam, sed secundum entitatem physicam propterea subiacet tali moralitati: similiter autem peccatum gratiam formaliter expellit, quia moralis illa entitas peccati habet repugnantiam cum entitate gratiæ physico-morali.

Tertiæ.

Ad tertiam Respondeo certum esse quod nemo iustus potest peccare servando gratiam, quamvis peccare possit illam admittendo. Qui habet formam cum peccato impossibilem, non potest peccare, nisi liberè possit & velit illam formam expellere, si autem expellere illam possit, poterit sine dubio peccare. Humanitas Christi, & voluntas beati sunt simpliciter impeccabiles, quia formam habent cum peccato impossibilem, quam non possunt velle admittere, unio enim hypostatica, & visio beata impediunt ne

subiectum in quo sunt velit illas amittere: voluntas autem hominis iusti velle potest excludere gratiam, idèò quamvis peccare non possit retinendo gratiam, potest tamen peccare illam amittendo.

Ad quartam Resp. repugnantiam peccati & gratiæ in eo consistere, quod peccatum sit animæ macula, & verum obiectum odij diuini, dissimilitudo cum Deo, & vera malitia: gratia verò sit animæ sanctitas, iustitia, natura diuina participata, atque adeò verum obiectum diuini amoris & complacentiæ.

S. II.

Utrum sola gratia expellat peccatum sine alio ullo favore ac condonatione extrinseca.

Dupliciter potest unum contrarium expelli ab alio contrario. Primò, ita ut introductio unius sit formaliter expulsio alterius, ut quando lumen tenebras expellit, tunc enim non sunt duæ mutationes, cum expulsio tenebrarum formaliter non sit aliud quam illuminatio: Secundò, ita ut productio unius sit aliquid realiter distinctum ab expulsiōe alterius, ut cum calor expellit frigus, certum est duas esse mutationes, quia productio caloris non est realiter expulsio frigoris. Cum ergo ut dixi gratia peccatum expellat ut forma impossibilis, merito quaeritur utrum priore illo modo gratia peccatum expellat, sicut lumen expellit tenebras, ita ut una tantum ibi sit mutatio, & unicus fauor: an verò expellat posteriori modo sicut calor expellit frigus: ita ut duæ ibi sint mutationes & duo fauores, unus sit infusio gratiæ, alter condonatio peccati.

Ratio dubitandi primò, est quia si gratia infusio, & condonatio peccati sunt duæ mutationes, & duo fauores distincti sequitur quod gratia non expellit peccatum per sui communicationem, requireretur enim aliquid aliud præter infusionem gratiæ ad hoc ut remittatur peccatum: sed gratia, ut dixi, remittit formaliter peccatum, id est per sui communicationem, ergo infusio gratiæ, & condonatio peccati, non sunt duo fauores distincti, nec duæ mutationes.

Secundò, remissio peccati est formalis effectus gratiæ, sed effectus formalis, formæ non est aliquid distinctum à forma recepta in subiecto, ergo remissio peccati, non est aliquid distinctum à gratia recepta in subiecto. Et ita indicari videtur in Trid. *sess. 6. Can. 4.* ubi dicitur quod iustificatio est translatio à statu peccati in statum gratiæ, ubi videtur indicari unica mutatio, si fauor quo aliquis ex peccatore fit non peccator distinguitur à fauore quo fit iustus, saltem est quod iustificatio sit translatio à statu peccati ad statum gratiæ.

Tertiò, si duæ ibi sunt mutationes distinctæ, sequitur quod remissio peccati, & infusio gratiæ sunt duo distincti effectus formales procedentes à causis formalibus distinctis: nam ubi sunt distincti effectus formales, ibi diuersæ sunt etiam causæ formales, consequens est absurdum, causa enim formalis totius iustificationis unica est. Imò sequitur quod non adæquate iustificamur per formam intrinsecè inherentem, quod repugnat Concilio dicenti neminem iustificari per fauorem extrinsecum. Denique quod caput est, sequitur gratiam non esse sanctitatem perfectam, cum relinquat hominem adhuc peccatorem neque per se possit expellere peccatum sine alio fauore.

Quartò, si gratia infusio, & remissio peccati duo sunt distincta, sequitur quod illæ possunt separari, atque ita poterunt esse simul in eodem homine peccatum & gratia, quod absurdum videtur.

Dico secundò, remissionem peccati & infusionem gratiæ duas esse mutationes & duos fauores realiter distinctos, atque adeò quantumvis gratia peccatum expellat formaliter, non expellit tamen illud sine condona

Quarta.

Secunda
quaestio-
nis.

Prima
ratio dubi-
tandi.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Altera
secunda.

condonationem Dei extrinsecam. Ita docent Scotus, Ochamus, Richardus, & alij quos citat & sequitur Suares *lib. 6. cap. 11. & 12.* contra Vasquem qui acriter pugnat illos non esse duos fauores, & duas mutationes, atque aded ad totum hominem sanctificandum & mundandum negat ullam esse necessariam Dei condonationem, sed solum satis esse infusionem gratiæ.

Probatur
rationib.

Ratio tamen evidens est, quia si remissio peccati & infusio gratiæ sunt vnica mutatio, sequitur quod gratia expellit peccatum eo modo quo lumen expellit tenebras, hoc autem falsum est, quia tenebræ non sunt aliud quam priuatio luminis, ideo realiter vnum est produci lumen & expelli tenebras. Peccatum quod expellitur non est priuatio gratiæ vt alijs probauimus, ergo remissio peccati & infusio gratiæ sunt duæ mutationes & duo fauores, sicut quia frigus non est priuatio caloris, positio caloris & expulsio frigoris sunt duæ mutationes distinctæ. Videreturque illud indicare Tridentinum vbi dicitur quod iustificatio non est solum remissio peccati, sed etiam renouatio & susceptio donorum vbi vides illa duo distingui. Deinde peccatum habituale est peccatum præteritum pro vt non condonatum, ergo vt tollatur peccatum habituale necessaria est Dei condonatio. Denique quando infunditur gratia homini qui caret peccato non reperitur totum quod reperitur in peccatore qui iustificatur, ergo in peccatore præter infusionem gratiæ reperitur condonatio peccati, negatio enim condonationis non tollitur nisi per condonationem, non potest tolli peccatum habituale nisi tollatur negatio condonationis, ergo sine condonatione tolli non potest peccatum.

Solutio
primæ du-
bitationis.

Ad primam Respondeo verum esse quod gratia expellit peccatum per sui communicationem formaliter quatenus necessario habet adiunctam condonationem extrinsecam, non autem præscindendo ab omni extrinseca condonatione: quemadmodum calor expellit frigus per sui communicationem quatenus adiunctam habet negationem diuini concursus ad conseruationem caloris in eodem subiecto.

Secundæ.

Ad secundam similiter Respondeo remissionem peccati non esse formalem effectum gratiæ seorsim sumptam à condonatione Dei, sed gratiæ simul coniunctæ cum condonatione Dei, cuius negatio est de conceptu peccati habitualis: sunt ergo illæ duæ mutationes, sed ita connexæ vt vna inuehat aliam, ideoque pro vna sumuntur, sicut expulsio frigoris, & productio caloris dicuntur esse vna mutatio.

Tertiæ.

Ad tertiam Respondeo concedendo quod susceptio gratiæ & remissio peccati sunt duo effectus formales partiales vnus positius, alter priuatiuus, ex quibus integra coalescit iustificatio. Neque verò necessaria propterea est duplex causa formalis intrinseca & positiua, sed vna sufficit quæ causat duos effectus formales, partiales, quatenus connexa est cum extrinseca Dei condonatione. Ad duos effectus formales positiuos necessaria est duplex forma intrinseca: ad duos verò effectus formales quorum vnus est priuatiuus sufficit vnica forma intrinseca; condonatio enim illa quatenus se tenet ex parte Dei est causa effectiua remissionis peccati, quatenus autem se tenet ex parte animæ cui peccatum remittitur, illa est solum ablatio peccati, vnde non requiritur alia vlla forma intrinseca, præter gratiam inhærentem. Quod additur sequi neminem iustificari adeo quæ per iustitiam inhærentem, distingui debet per iustitiam inhærentem secludendo condonationem extrinsecam concedo, per iustitiam inhærentem pro vt annexam habet Dei condonationem, & beneuolentiam nego: per solum autem fauorem gratuitum fateor neminem iustificari, quamuis iustificetur per fauorem illum extrinsecum

Tom. I.

pro vt connexum & infusum cum gratia intrinseca. Denique quod dicitur sequi, quod gratia non sit vera perfectæque sanctitas, quia non sanctificat sine condonatione Dei superaddita. Nego id sequi nam vt gratia sit perfectæ sanctitas, satis est quod per se reddat hominem iustum, & quod habeat illam condonationem necessariò annexam, gratia enim seiungi non debet ab illa condonatione, quam necessariò habet annexam saltem naturaliter imò fortassis etiam diuinitus, vt statim explicabitur.

Ad quartam enim vt respondeatur, videndum accuratius est.

Quarta
inferius.

S. III.

Vtrum gratia ita expellat peccatum vt ne diuinitus quidem esse possit simul cum illo.

Quædam ita pugnant inter se naturaliter, vt diuinitus tamen possint esse simul vt calor & frigus, quædam ne diuinitus quidem stare possint simul in eodem subiecto, vt curuum & rectum. Cum igitur constet ex dictis quod peccatum & gratia inuicem se pugnent, merito quaeritur vtrum repugnantia illa sit tanta, vt ne diuinitus quidem stare possit peccatum in eo subiecto vbi est gratia, sed necessariò & essentialiter posito peccato destruat gratia, & posita gratiâ remittatur peccatum.

Scitis
questio-
nis.

Ratio verò dubitandi est primò, quia illa possunt realiter separata existere, quæ sunt realiter inuicem distinctæ, sed remissio peccati, & infusio gratiæ duo sunt fauores distincti, ergo possunt inuicem separari. Probarique potest à pari de calore & frigore, peccatum enim & gratia eo modo inter se pugnant quo calor & frigus, & eodem modo se habent remissio peccati, & infusio gratiæ, quo introductio caloris, & expulsio frigoris, sed calor & frigus possunt diuinitus esse simul, quia introductio vnus & expulsio alterius sunt duæ mutationes distinctæ, ergo peccatum & gratia possunt esse simul.

Ratio pri-
ma dubi-
tandi.

Secundò, illa quæ non pugnant contradictoriè, sed contrariè tantum possunt esse simul, peccatum & gratia contrariè pugnant non contradictoriè aut priuatiuè cum peccatum non sit priuatio gratiæ, ergo peccatum & gratia possunt esse in eodem subiecto.

Secunda.

Tertiò, si posita gratiâ Deus necessariò remitteret peccatum, Deus necessitaretur ad amandum illum in quo est gratia, sed Deus nō potest necessitari ad amandum aliquid extra se, solum est enim summum quod necessariò amatur, ergo posita gratiâ non necessariò remittit Deus peccatum; Posita enim quacunque gratiâ, Deus semper liber est ad condonandum, vel non condonandum peccatum.

Tertia.

Dicendum tamen tertiò est, esse longè probabilius quod gratia & peccatum ita inuicem pugnant vt nulla vi etiam diuina possint esse simul. Atque adeo posita infusione gratiæ, sequitur necessariò remissio peccati. Ita docent plurimi Theologi quos citat & sequitur Vasques *disp. 204.* contrarium autem multi docent etiam cum Suare *lib. 7. cap. 20.*

Affertio
tertia.

Ratio autem est primò, non videtur implicare aliqua qualitas supernaturalis omnino impossibilis cum peccato, nam vnio hypostatica & visio habent talem illam repugnantiam, vt patet, implicat vt peccatum non remittatur ei qui vnionem habere inciperet hypostaticam, & vt peccet ille qui Deum videt: sed si est possibilis talis qualitas nulla est ratio cur negetur hoc conuenire qualitati huic quæ facit Dei amicum, sanctum, iustum, filium adoptiuum, & quæ participatio est naturæ diuinæ; omnes enim rationes quæ probant gratiam stare posse cum peccato, similiter probant impossibilitatem qualitatibus quæ habeat huiusmodi repugnantiam: semper enim dicerem Deum non

Probatur
primò.

R R r

necessitati

necessitari ad admandum aliquid extra se, peccatum & illam qualitatem contrariè solum opponi, atque adeò esse posse simul. Imò & probant quod vno personalis cum Verbo, & visio beata stare possunt cum peccato. Vnde

Probatur
secundò.

Secundò, argumentor quia multa sunt verè positiua, quæ tamen nulla vi possunt esse simul: assensus enim & dissensus, amor & odium ex eodem motiuo, curuum & rectum in eadem linea, ergo similiter gratia & peccatum quamuis sint positiua & opponantur contrariè, possunt esse talia vt se inuicem omnino excludant. Probatur consequentia, idè assensus & dissensus, curuum & rectum, & alia huiusmodi se necessariò excludunt, quia quamuis sint positiua vnum tamen dicit consequenter negationem alterius, sed gratia & peccatum etiam huiusmodi sunt, nam gratia cum sit sanctitas positiua dicit consequenter negationem malitiæ, & cum sit dignitas propter quam homo est amabilis à Deo, seu amabilitas excludit odibilitatem seu dignitatem odij diuini. Et hinc.

Probatur
tertiò.

Tertiò, argumentor, implicat vt aliquis actu constituitur iustus, sanctus, Dei amicus, Dei Filius, quin desinat esse actu iniustus, immundus, inimicus Dei, & dignus pœna æterna, sed per peccatum habituale homo est iniustus, immundus, inimicus Dei, dignus pœna æterna: per gratiam autem homo est iustus, Sanctus, Dei amicus & filius, sicut per albedinem paties est albus, ergo implicat vt illa sint simul. Respondet aduersarij quod homo per gratiam iustus est, sanctus, Dei amicus exigituè tantum & aptitudinaliter, non autem actualiter. Sed contra: si enim per gratiam homo non est iustus nisi aptitudinaliter & exigituè, sequitur necessariam esse formam aliquam superadditam, quæ fiat actualiter iustus & sanctus, sed certum est nullam esse aliam formam quæ fiat actualiter sanctus & iustus præter gratiam, ergo per illam homo non fit iustus solum exigituè, sed etiam actualiter. Deinde implicat vt idem homo simul exigituè sit Dei amicus & hæres, & exigituè sit Dei inimicus & dignus exigituè pœna æterna, sed per peccatum homo est exigituè inimicus Dei, & exigituè dignus æterna pœna, ergo implicat vt ille tunc habeat gratiam per quam exigituè sit amicus Dei & dignus hæreditate. Deinde implicat vt peccatum nullam aliam habeat causam suæ existentie nisi Deum, sed si peccatum simul conferuetur miraculosè cum gratia, nullam aliam habebit causam existentie suæ nisi Deum, opus enim miraculosum à solo Deo esse potest, ergo, &c.

Solutio
primæ dubitationis.

Ad primam Respondeo concedendo quod infusio gratiæ & condonatio peccati duæ sunt res distinctæ, sed ita tamen essentialiter connexæ, vt infusio gratiæ semper necessariò inuehat condonationem peccati, quando illud est in anima, non enim est semper verum quod quæ sunt distincta sunt separabilia, nam creatio, verbi gratiæ, & res creata, sunt res distinctæ quæ tamen separari nequeunt, cur ergo gratia, & expulsio peccati non erunt similiter inseparabiles. Nego itaque rationem cur calor & frigus esse possint simul in eodem subiecto, esse quia calefactio & expulsio frigoris sunt res distinctæ: ratio enim potius est quia vna non dicit essentialiter negationem alterius: peccatum & gratia non opponuntur eo modo quo inuicem opponuntur calor & frigus, sed eo modo quo opponuntur curuum & rectum, assensus & dissensus, amor & odium peccatum enim dicit consequenter negationem gratiæ, & gratia consequenter & essentialiter negationem peccati. Vnde

Secundò.

Ad secundam nego quod peccatum & gratia opponantur solum contrariè, quia opponuntur contrariè simul & priuatiuè, non vt frigus & calor, sed vt corpus & spirituale, odium & amor, rectum & curuum.

Ad tertiam Respondeo quod Deus est liber simpliciter ad condonandam vel non condonandam offensam, etiam si ex suppositione quod det gratiam non possit non condonare offensam omnem, & amare subiectum in quo est gratia. Fateor quod voluntas Dei non necessitatur antecedenter ad amorem vilius boni creati, sed ex suppositione tamen necessitari potest ad aliquem non habendum odio, si enim non pecco non potest me odio habere, si pecco non potest me amare sed me necessariò habet odio. Similiter enim si dat gratiam non potest me habere odio, sed necessariò remittit peccatum & me amat necessariò amore saltem complacentiæ, vt dicitur statim.

SECTIO IV.

De alijs effectibus formalibus gratiæ sanctificantis.

Certum est primò, quod ad reliquos effectus gratiæ inherents errant Sectarij tripliciter. Primò, enim negant denominationes istas iusti, dilecti, sancti, filij adoptiui, peti ab illa forma intrinseca, sed ex puro favore Dei, & Christi iusticia imputata. Secundò, negant illas denominationes vili etiam homini puro conuenire: neminem enim esse qui quantumuis iustus & sanctus appelletur, reuera tamen non sit impius & immundus, indignus Dei amicitia & gloria æterna. Tertiò, ergo concludunt nullam nobis inesse iustitiam nisi falsam, & imputatam, nullos actus laude dignos & præmio.

Certum est secundò, veritatem Catholicam de istis effectibus gratiæ inherents habere tria potissimum capita. Primò, quod homo hac ornatus gratia non solum est expertus omnis peccati, sed est etiam verè gratus Deo, eius amicus, filius, hæres, naturæ ac pulchritudinis diuinæ confors. Secundò, quod illæ denominationes procedunt à gratia vt forma: vnde Tertiò, concluditur quod datur in nobis verà & interna sanctitas ac iusticia. Quibus suppositis explicanda nunc mihi de istis singulis sunt tria, in quo consistant, quomodo proficiant à natura gratiæ, quomodo sint ab ea sep arabiles.

S. I.

An & quomodo gratia reddat formaliter hominem amicum Dei.

Abi complacere in alicuius perfectione: amari autem à Deo vt amicum, est Deum in alicuius perfectione ita sibi complacere vt velit illi communicare sua bona, sua secreta, imò & se ipsum totum. Difficultas igitur est, vtrum gratiæ sit donum per quod homo reddatur obiectum dignum amicitia Dei.

Ratio dubitandi est primò, quia id quo reddimur Deo dilecti est ipse amor quo Deus nos diligit, sed gratia inherens non potest esse amor quo Deus diligit, nam ille non est nisi in Deo, ergo gratia non est forma quæ reddimur amici Dei, non enim est amor quo Deus nos diligit, sed ad summum est pignus & signum à Deo deputatum illius amoris quo Deus nos amat. Neque dicas gratiam esse id quo formaliter reddimur Deo diligibiles non id quo formaliter diligimur: nam etiam charitas est perfectio quædam animæ quæ sine dubio reddimur Deo diligibiles.

Secundò, nulla est qualitas quæ possit necessitare Deum ad nos diligendos & ad sua nobis bona communicanda, quomodo enim Deus potest necessitari ad amicitiam nobiscum contrahendam? Deus enim communicata creaturæ quacunque qualitate adhuc potest negare illi communicationem bonorum suorum,

suorum, v.g. beatæ visionis, quam potuit etiam negare homini Christo.

Tertia. Tertiò, si Deus necessariò amaret hominem iustum non posset illum destruere. Imò si Deus amat bonum aliquod necessariò, sequitur quod illud bonum est Deo necessarium, hoc autem non est verum, quia nihil est Deo necessarium nisi Deus. Denique ut dixi nulla voluntas etiam creata necessariò amat bonum quod non est summum & infinitum bonum, cuiusmodi non est gratia.

Quarta. Quartò, illa perfectio quæ non constituit æqualitatem neque proportionem inter hominem & Deum non potest formaliter constituere hominem Dei amicum, sed gratia infinitè distans à Deo non constituit æqualitatem neque proportionem inter hominem & Deum, ergo non constituit hominem formaliter amicum.

Affertio 1. bipartita. Dico primò, per gratiam habitualement hominem reddi amicum Dei formaliter & ex natura ipsius gratiæ, sine vlllo favore distincto, si peccator non sit ille cui datur gratia.

Probat. prima pars ex triplici fonte. Primam partem tradunt Catholici omnes Doctores aperteque primò colligitur ex Scripturis Ephesiorum primo: *Gratificauit nos in dilecto filio suo.* Non quod Christus causa sit formalis, sed meritoria tantum gratificationis illius quæ fit per gratiam. Primæ ad Corinthios: *Transiit nos in regnum filij dilectionis sue, Sapientiæ 4. Placens Deo factus est dilectus:* Ioannis 14. *Pater meus diligit eum, & ad eum venimus.* Deinde traditur in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi dicitur quod per susceptionem gratiæ ac donorum, homo fit ex inimico amicus, & cap. 10. Nos per gratiam fieri Dei amicos & eius domesticos. Denique ratio à priori est, quia tunc homo est Deo gratus & dignus eius complacentia quando est in se ipso rectus, iustus, Deo similis, & eius filius, per gratiam confertur ei rectitudo, iustitia, similitudo cum Deo & filiatio Dei, ergo per gratiam homo fit amabilis Deo. 2. Regum 12. *Et vocauit eum amabilis Dominus, eo quod diligeret eum Dominus.*

Probat. secunda pars. Secunda pars, quod talis homo fiat amicus Dei ex ipsa natura gratiæ assertur communiter à Doctoribus cum Sancto Thoma contra Scotum, Durandum, & Nominales qui volunt gratiam non aliud esse quàm signum à Deo deputatum. Sed ex dictis tamen omnino sequitur, quia illud quod ex se ipso reddit hominem in se ipso perfectum, iustum, & confortem diuinæ naturæ reddit ex se ipso hominem obiectum Deo amabile: gratia facit ex se ipsa, ut dixi, hominem perfectum, ergo per se ipsam facit hominem Deo dilectum & dignum complacentia Dei. Quod probari potest ex omnibus illis effectibus & nominibus gratiæ quibus ab initio existentia eius probata est; per eam enim Deus dicitur venire, ad nos, habitare in nobis, consecrare ut templa generare ut filios, ungere ut Reges, signare ut electos, dicitur pignus propter sequuturam hereditatem, semen propter participationem naturæ, signaculum propter similitudinem, vnguentum propter sanctitatem.

Affertio 2. bipartita. Dico secundò, implicare contradictionem ut gratia sit in homine quin reddat illum dilectum à Deo saltem amore complacentiæ quæ non tendit ad operationem, quamuis possit reuera Deus aliquem amare aliquo modo nullam ei conferendo gratiam aut aliam vllam qualitatem intrinsecam.

Prima pars probatur. Primæ partis ratio est, quia diligibilem esse Deo amore complacentiæ, non est aliud quàm esse obiectum dignum Dei amore ac complacentia, subiectum in quo est gratia est necessariò tale, quia est rectum & Deiforme, ergo necessariò est Deo diligibile. Imò & est necesse ut in eo sibi Deus

Tom. I.

complaceat, quia voluntas infinitè recta non potest non complacere in rectitudine, neque non displicere in peccato: neque quoad hoc est libera, quamuis libera omnino sit quoad amorem operatiuum, & efficacem, potest enim non bene facere amico, sed in eius bonitate non potest non habere complacentiam, alioqui non esset infinitè recta.

Secunda pars, quod hominem Deus diligere possit nullam ei gratiam tribuendo quæ intrinsecè bonus sit, pender ex dictis de remissione peccati sine vlla gratia per solam condonationem extrinsecam, est enim par ratio, & difficultas omnino eadem. In amore itaque Dei distinguenda sunt duo; primum quod in alicuius perfectione supernaturali complacentiam habeat, hoc modo amare Deus non potest hominem, qui nec habet gratiam intrinsecam, nec aliud vllum donum quo fiat amabilis. Secundum est quod velit illi dare bona sua, nam amare est velle bonum, potest sine gratia vlla sic amare hominem sine gratia, sed ille non erit perfectus amor, quia non volet illi bona quia bonus est, sed tantum quia vult.

Ad primam Respondeo gratiam non esse id quo actu nos Deus amat, sed id quo digni efficiamur ut nos amet tanquam simpliciter rectos & Deiformes.

Ad secundam Respondeo Deum non necessitari ad amorem operatiuum erga iustos, sed necessitari ad amorem complacentiæ ex suppositione quod det gratiam, sicut ex suppositione quod habeat peccatum, habeat necessariò displicentiam. Potest quidem homini iusto negare visionem beatam, sed non potest efficere ut non sit eà dignus.

Ad tertiam nego sequi quod Deus nequeat destruere hominem iustum, quia ut dixi, amor quo illum amat est tantum ex suppositione liberè posita, sicut enim potest illi auferre gratiam, ita potest illi auferre existentiam, imò illa est complacentia tantum non autem amor operatiuus tendens ad existentiam: sed neque propterea sequitur quod gratia sit bonum Deo necessarium, propter eandem rationem.

Ad quartam Respondeo non esse necessariam æqualitatem vllam, aut etiam proportionem amicorum in amicitia quæ vocatur excellentiæ. Vel certè si aliqua est æqualitas, illa solùm est quam efficit amor reciprocus, dicitur enim quod amicitia æquales inuenit aut facit.

S. II.

An & quomodo gratia efficiat hominem iustum & rectum per infusionem virtutum omnium & donorum.

Iustitiæ nomine non hic intelligitur specialis illa virtus quæ reddimus unicuique quod suum est, sed rectitudo illa totius hominis per quam sic est adæquatus cum recta ratione ut sit completè potens elicere actus omnes vitæ supernaturalis & diuinæ, quod assequitur per habitus infusos virtutum omnium & donorum Spiritus Sancti. Difficultas igitur nunc est, utrum illa gratia sit forma quædam diuina ex qua veluti proprietates & potentia necessariò simul emanent qualitates illæ habituales virtutum omnium quibus anima ornata completè diuina fit, & proximè potens ad eliciendas operationes diuinas. De his autem inhabitibus non dicam hoc loco nisi obiter, dicturus plenius statim de illis in ipso initio sequentis tractatus.

RR 2 Ratio

Ratio pri-
ma dubi-
tandi.

Ratio ergo dubitandi primò est, quia isti habitus infusarum virtutum sunt inutiles, vel enim dant facilitatem ad operandum, vel dant simpliciter operari: si primum ergo supponunt in potentia facultatem eliciendi actus supernaturales quod falsum est: si secundum ergo isti non sunt habitus sed potentiae. Imò peccator sine istis habitibus elicit actus supernaturales, alioqui nunquam posset conuerti, ergo illi habitus non dant simpliciter operari, potentia enim eleuatur sufficienter per gratiam excitantem & adiuuantem, ergo nulli habitus sunt simpliciter necessarij.

Secunda.

Secundò, illi habitus vel sunt causæ principales actuum, vel sunt causæ instrumentales: si sunt causæ principales, sequitur illos actus non elici per potentiam obedientialem actiuam quæ semper instrumentum est: si sunt causæ instrumentales, Deus ergo erit causa principalis illorum actuum, & Deus dicetur credere ac sperare.

Tertia.

Tertiò, si habitus sequuntur gratiam vt proprietates, sublata gratia debent illi omnes statim interire, quod tamen est falsum quia manent Fides & Spes. Imò difficile intelligitur discrimen istarum virtutum à donis Spiritus Sancti, quomodo enim v.g. differt timor qui est donum à timore qui est virtus.

Assertio
prima.

Dico tertiò, neminem vnquam accipere gratiam sanctificantem, quin simul etiam accipiat per infusionem à Deo habitus omnium virtutum Theologicarum & Moralium & omnia dona Spiritus Sancti.

Prima
pars.

Prima pars, apertè definitur in Trident. sess. 6. c. 7. vbi dicitur quod in iustificatione peccatoris, non sola est remissio peccatorum, sed renouatio etiam interioris hominis per susceptionem gratiæ ac donorum dicitur etiam quod sanctissima Passionis merito charitas infunditur in cordibus eorum qui iustificantur: Additurque demùm quod in iustificatione peccatoris hæc omnia simul infusa homo accipit, & inseritur Christo per fidem, Spem, Charitatem. Ideoque post Concilium negare habituum istorum saltem Theologicorum infusionem cum gratia, erroneum prorsus foret. Deinde colligitur ex eo quod dixit S. Dionysius fieri per gratiam in nobis statum quandam vitæ supernaturalis & diuinæ, cuius vitæ primaria radix & forma est gratia sanctificans: vnde argumentor vbi est forma constituens hominem viuentem vita supernaturali, ibi debent etiam reperiri potentiae per quas connaturaliter eliciantur actus illius vitæ proprii: nam vbi est vita ibi etiam sunt operationes consentaneæ huic vitæ, & virtus ad eas eliciendas, sicut vbi est anima ibi est intellectus, voluntas, & aliæ omnes potentiae: sed in homine habente gratiam datur forma per quam constituitur existens vita diuina, ergo dantur etiam virtutes elicitiuæ connaturaliter operationum diuinarum. Reliquæ probationes propriæ sunt sequentis tractatus.

Secunda
pars.

Secunda pars, de donis Spiritus Sancti minus est certa, non enim omnino constat ista dona esse qualitates habituales distinctas de quo dicam aliàs. Ratio ramen nunc sit quia vbi communicatur persona ipsa Spiritus Sancti, debent etiam esse dona Spiritus Sancti, qui enim habet Spiritum Sanctum debet etiam esse facilè mobilis à Spiritu Sancto, & habere thesauros eius. In iustificatione autem donari personam Spiritus Sancti patebit statim, ergo dantur etiam eius septem dona.

Ad totam rationem dubitandi constabit ex initio sequentis tractatus quomodo habitus infusarum virtutum non dent facilitatem ad operandum, sed sint instar potentiarum, & dent operari connaturaliter, quomodo causæ sint instrumentales actuum, quomodo moraliter tantum producantur per actus, & quomodo ex sola indulgentia Dei maneant in peccatori-

bus fides & spes, quæ cum gratia deberent perire & denique discrimen harum virtutum à donis ibi etiam explicabitur.

S. III.

Reliqui effectus gratiæ sanctificantis Filiatio adoptiua, communicatio personæ Spiritus Sancti, perfectio Deificatio.

Tunc dicitur homo adoptare aliquem in filium cum dat illi ius ad suam hereditatem, perinde ac si esset ab eo genitus, adoptio enim est acceptatio personæ alicuius extraneæ ad hereditatem: difficultas igitur est, vtrum gratia hunc etiam formalem effectum habeat vt non modò reddat hominem sanctum id est purum ab omni labe, Dei amicum, obiectum videlicet Dei complacentiæ & amicitie, iustum & rectum id est omnibus virtutum & donorum ornamentis instructum, sed quod maius his omnibus est & illustrius reddat etiam Dei filium, quod per eam sic à Deo acceptetur ad cælestem hereditatem, vt posita gratia non possit non habere ius ad eam, & ad omnia Dei bona: vbi expendenda sunt tria primò veritas huius filiationis in eo qui habet gratiam: secundò forma constituens filium, vtrum sit persona ipsa Spiritus Sancti, & gratia non solum creata, sed etiam increata: tertiò perfectio huius filiationis & ratio eius quidditatiua, perfectio quædam Deificatio, & imitatio quædam naturalis filiationis.

Ratio dubitandi primò est, quia nulla videtur esse qualitas quæ Deus obligetur ad dandam homini visionem beatam, vel ad eum acceptandum ad illam, ergo acceptatio illa semper erit nouus fauor posita quacunque gratia.

Secundò, adoptio inter homines fit duntaxat per extrinsecam quandam denominationem, & acceptationem non autem per vllam formam intrinsecam, ergo vt homo adoptetur in filium Dei, non requiritur gratia, & multo minus necessaria est personæ Spiritus Sancti communicatio. Nam omnia scripturæ testimonia quæ hoc probant commodè possunt explicari de ipsius donis Spiritus Sancti, neque necessariò intelliguntur de persona ipsa Sancti Spiritus, præsertim cum eodem iure diceretur dari nobis tota Trinitas secundum substantiam, quia dicitur *qui diligit me diligitur à patre meo, & ad eum veniemus*, & demùm explicari vix potest qualis sit vnio ista hominis iusti cum persona Spiritus Sancti, nisi dicatur esse hypostatica, quod nemo dixerit.

Tertiò, Deificatio illa & participatio naturæ diuinæ quæ dicitur fieri per gratiam non est nisi metaphorica & impropria, vnde neque fundare potest veram; quomodo enim potest nisi valdè metaphoricè participari ab homine infinitas illa perfectionum in omni genere?

Dico quartò, necesse omnino esse vt accepta gratia homo iustus constituatur verè ac propriè Dei filius adoptiuus, non per solam denominationem extrinsecam, & fauorem Dei, sed per vnionem personæ Spiritus Sancti mediâ gratiâ & charitate, vnde resultat vera quædam participatio naturæ diuinæ, ac Deificatio totius hominis. Tres sunt partes conclusionis probandæ sigillatim & ponderandæ.

Prima enim de veritate huius adoptionis filiorum perspicua est ex scripturis: 1. Ioannis 3. *Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus*, quasi dicat nos sic esse iam adoptatos per gratiam, vt verum habeamus ius ad hereditatem quam possemus habere in statu gloriæ vt exponunt Euastus Papa epist. 1. & Conc. Francoford. epist. ad Episc. Hispan. *Et rursus videte qualiter charitatem dedit nobis Pater vt filij Dei*

Dei nominemur & simus : Nam, ut ait Augustinus tractatu 4. in Ioannem, qui vocantur & non sunt. Quid prodest nomen ubi res non est? Roman. 8. Qui Spiritus Dei aguntur & sunt filij Dei : & postea Accepistis Spiritum filiorum, in quo clamamus abba Pater ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filij Dei. Coloss. 1. Transulit nos in regnum filij dilectionis sue. Idque apud Patres omnes ferè perpetuum est, quod gloria iustis detur tanquam hereditas, qui proinde omnes possint dicere cum Apostolo, gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, gaudere videlicet in sinu possumus, & palam etiam gloriamur quod reposita & prorsus debita nobis sit hereditas tanquam filijs qui verum habent ius ad paternæ bonæ. Ratio autem autem patebit ex statim dicendis, de forma constitutionis huius filiationis & de illius termino. Diuina videlicet adoptio non est humanæ similis quæ non est nisi extrinsecus quidam fauor, & acceptatio extrinsecæ personæ, diuina verò multò est sublimior & perfectior, non enim est extrinseca solum beneuolentia, sed vera imitatio filiationis naturalis per illam enim de personâ adoptata sit similis in natura & de nouo sic generatur ut ius habeat intrinsecum ad diuinam hereditatem quod ut magis constet.

Secunda pars. Secunda pars, explicari debet quæ asserit formam, quâ constituimur filij Dei esse gratiam ipsam prout vnit animæ iusti personam ipsam Spiritus Sancti, ut probabam in tractatu de Trinitate ubi cum communiori sententia docui certum esse quod mediâ charitate ac gratia, personâ ipsâ Spiritus Sancti realiter communicatur personæ iustæ, & se ipsâ illam vngit, informat, Deificat, tanquam vitæ supernaturalis animæ, non per vnionem metaphoricam, sed per se ipsam quæ sit imitatio quædam rudis accidentalis vnionis hypostatica.

Probatur primò communicatio personæ Spiritus Sancti. Primò, enim illustria eam in rem proferri possunt testimonia ex Scripturis ubi dicitur quod per charitatem datur nobis & habetur Spiritus Sanctus, habitare, signare, vngere, esse Archa hereditatis, v. gr. 1. ad Corinth. 3. Nescitis quia templum Dei estis & Spiritus Dei habitat in vobis : nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo & non estis vestri. 2. ad Corinth. 5. Signati estis spiritu promissionis sancto qui est pignus hereditatis vestre. 1. Ioannis 3. In hoc scimus quoniam manet in nobis quia de spiritu suo dedit nobis.

Probatur secundò ex Patribus. Secundò vnionem hanc describunt eximie Patres Cyrillus lib. 14. thesauri docet animas Spiritu Sancto sanctificari, imò Spiritum Sanctum vocat ἀντὶπερὶν id est sui communicatione ac substantiæ suæ infusione nos efficere sanctos : & lib. 9. in Ioannem docet Spiritum Sanctum esse in nobis velut qualitatem diuinitatis, & in sanctis habitare ac perpetuò manere, esse autem quo inauramur & vnguetum quo inungimur & consecramur. Dialogo 7. de Trinitate appellat illum domesticum & habitatorem nostrum, quo iustus plenè locupletur, non si alienum, & dissociatum spiritum acceperit, sed si eum habeat qui est ex ipso, & in ipso, ipsiusque proprius, & æqualem ad ipsum comparatus proprietatem gerit, longum esset alios referre quorum certa & fixa est assertio, quod Deo secundum substantiam præsentem, substantiam eius impermixtè participamus & quod ipsa est quæ nos sanctificat & habitat in nobis, ut loquitur Cyparisthota Decade 7. cap. 2. & 3. Mira enim sunt quæ illi differunt communiter de ratione habitaculi, templi, sigilli, vnguenti, spiraculi, vnde illi probant diuinitatem Spiritus Sancti, qui si diuina non esset personâ non posset in animam illari, & illi vniri, quod solius personæ diuinæ potest esse proprium.

Probatur tertio ratione. Tertio, asserri solet ratio quoties datur nouus ali-

quis effectus ita exigens præsentiam personæ diuinæ ut si vbique illa non esset, ex vi huius effectus reuerat inciperet esse præsens, toties dicitur præsens esse personâ diuinâ creaturæ, atque illi de nouo vniri : sed quoties ponitur in homine iusto gratia & charitas, toties verum est quod personâ Spiritus Sancti esset præsens homini iusto si non esset vbique, charitas tendit ad vnionem & præsentiam quantum potest, ergo per gratiam communicatur homini iusto personâ Spiritus Sancti.

Tertia pars, de termino huius filiationis & perfectione illius aded mirabili ut euehat hominem ad societatem quandam & participationem naturæ diuinæ asseritur communiter à Theolog. ex notissimo illo testimonio S. Petri : Per quem maxima nobis, & pretiosa promissa donauit ut diuinæ naturæ cōsortes efficiamur, quo nihil dici vel cogitari potest magnificentius.

Probatur autem primò, quia tunc natura diuinâ participatur, quando participatur connaturaliter modus intellectualitatis naturæ diuinæ ita proprius ut nulli creaturæ possit esse connaturalis, sed gratia est radix intellectualitatis ita Deo propriæ ut nulli creaturæ conuenire possit connaturaliter, est enim radix visionis & charitatis quibus Deus videt & amat se ipsum, ac perfectissimè suâ bonitate fruitur, visio enim Dei connaturaliter debita est homini iusto gratiam habenti, ergo gratia est participatio quædam & realis naturæ diuinæ, quatenus ex se profundit habitus elicitiuos diuinarum operationum, & præsertim lumen illud gloriæ ex quo manant visio & gaudium beatificum.

Secundò, probatur ex eo quod communicatio Spiritus Sancti, quæ dixi annexam semper esse gratiæ, facit necessariò similitudinem hanc & communicationem naturæ diuinæ.

Ad primam Respondeo eo argumento probari quidem quod Deus homini habenti gratiam negare potest beatitudinem : sed non probari quod facere possit ut homo habens gratiam non sit dignus gloria, & ad illam ius habeat. Hoc enim ius essentialiter adiunctum est gratiæ adoptanti, quamuis Deus ratione supremi dominij, negare possit bona illa quibus digni sumus, acceptatio ad gloriam fauor est distinctus ab entitate gratiæ (ut sæpè dixi) sed illi tamen essentialiter connexus, & omnino debitus ex suppositione, potest Deus cui voluerit dare gloriam & extrinsecum ius ad illam : Ius autem intrinsecum & meritum dare non potest sine gratia, vel altera perfectione quæ gratiæ æquiualeat. Verum est quod inter homines adoptio est aliquid prorsus extrinsecum personæ adoptatæ, neque vllò modo imitatur filiationem naturalem : adoptio autem quia proximè imitatur filiationem naturalem, est infusio qualitatis intrinsecæ, ac natiuitas noua.

Ad secundam Respondeo constare omnino ex dictis quod Spiritus Sanctus non per suam tantum dona effectiue communicatur iustis, sed existit etiam in illis quasi formaliter per suam substantiam : id enim omnino ferunt allatæ rationes dicitur quidem verè quod etiam tota Trinitas per gratiam habitat in nobis, sed tantum concomitanter, cum immediatè personâ ipsâ Spiritus Sancti vnitur iusto, proprietates enim eius personales est sanctificatio, est autem vnio ista solum accidentalis ac proinde infinitè distans ab hypostatica.

Ad tertiam Respondeo Deificationem illam hominis habentis gratiam, non esse metaphoricam duntaxat & impropiam, quamuis sit solum accidentalis propter vnionem accidentalem per quam vitam diuinam homo viuere participat.

Tertia pars.

Respondetur primæ dubitationi.

Secundæ.

Tertiæ.

§. IV.

Corollaria de vera definitione ac excellentia gratiæ.

Primum, sit gratiam habitualement rectè debere definiri, qualitatem spiritualement, supernaturalem, inhaerentem homini, & in eo permanentem, ut per illam fiat reuerà sanctus, Dei amicus, filius adoptiuus, & naturæ diuinæ confors.

Secundum sit, iustificationem rectè sic definiri, est translatio totius hominis à statu peccatoris, in quo est inimicus Dei, & dignus aeterna pœna, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei. Hoc est mutatio illa in qua homo habens peccatum, accipit veram eius remissionem, per gratiam internam, quâ definit esse peccator, & incipit esse iustus.

Tertium sit excellentia gratiæ sanctificantis supra omnia Dei opera tum ordinis naturalis, tum supernaturalis excepta vnione hypostatica, & Dei maternitate, quæ res disputatur ab interpretibus S. Thomæ quæst. 113. art. 9. & 10. Suarez lib. 6. c. 23. lib. 7. cap. vlt. Valentia q. 4. p. 1.

Probatur
primò.

Primò, itaque certum mihi est gratiam esse perfectiorem alijs omnibus accidentibus qualiscunque illa sint ordinis, quamuis de lumine gloriæ ac de visione nonnulli dubitent.

Ratio tamen est quia gratia cum omnibus illis accidentibus comparatur ut radix & forma ad potentias & operationes: forma verò perfectior est potentijs & operationibus, quantuncunque illæ vitales sint, quamuis ratione vitalitatis actus illi dici possint secundum quid perfectiores quàm gratia.

Probatur
secundò.

Secundò certum est, quod gratia saltem secundum propriam & specificam rationem est perfectior quàm opus vllum purè naturale, v. gr. quàm creatio cœlorum, quàm omnium Angelorum productio & dotes omnes: quia gratia est participatio diuinæ naturæ in ordine qui superat totam naturam: Deinde terminatur ad bonum æternum diuinæ participationis: quolibet autem opus naturæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis. Vnde docet S. Thomas art. 10. ad secundum quod bonum vnius gratiæ superat bonum naturale totius vniuersi, neque dubium est quin sit perfectius, esse Deum participatione, quàm esse hominem per essentiam, etiam si certum omnino sit quod gratia cum sit accidens, imperfectior est secundum rationem genericam quàm minima substantia.

Si autem quærat utrum iustificatio sit opus excellentius & mirabilius quàm glorificatio.

Respondeo quod si præcisè sumatur, maius sine dubio est opus iustificatio quàm glorificatio, peccator enim magis distat à gratia, quàm iustus distat à gloria.

Deinde maior sine dubio est indulgentia Dei & misericordia, propter indignitatem hominis qui recipitur in gratiam.

QVÆSTIO II.

De causis gratiæ sanctificantis, & totius iustificationis.

S. Thomas, quæst. 113.

Explicat illas omnes distinctè Tridentinum sess. 6. cap. 7. 10. & 14. & in tractatu de poenitentia plenissime dictum est de illis, nunc omnibus illis quæ

ibi dixi satis est quatuor ponere quæ spectare videntur ad causas istius gratiæ. Primò quænam sint causæ concurrentes ad primam eius productionem. Secundò quænam causæ concurrant ad eius incrementum & perfectionem. Tertio quænam concurrant ad eius conseruationem, & perseverantiam. Quarto quænam ad eius amissionem & destructionem.

SECTIO I.

De prima productione gratiæ sanctificantis & de illius causis.

Dignitas gratiæ sanctificantis, & eius excellentia quam proposui non potest certius colligi quàm ex causis eius tum internis subiectiua, & formali, tum externis finali & effectiua, physica, morali, dispositiua quas attigisse singulas satis erit.

Certum igitur primò est, causam subiectiuam & quasi materialem gratiæ sanctificantis esse substantiam quamlibet creatam spiritualement & rationalem in cuius potentia obedientiali per Dei eleuationem recipitur. Ratio est, quia illud solum subiectum capax est recipiendi qualitatem hanc spiritualement cuius proprium munus est efficere Dei amicum & filium, quod solum capax est diuinæ amicitiae ac filiationis: huiusmodi est omnis & sola creatura rationalis, alias enim creaturas amare Deus potest, amicitia non est nisi ad naturam intelligentem & liberam, sola ergo creatura rationalis capax est gratiæ cum sola capax sit filiationis & hereditatis, si autem poneret Deus gratiam in aliquo subiecto experite rationis, gratia non redderet subiectum hoc gratum & amicum Dei, sed redderet tantum illud habens gratiam qui est effectus formalis primarius gratiæ, sicut si poneretur in lapide verbum mentis, non redderetur lapis intelligens sed habens verbum mentis. Dixi deinde quod omnis creatura rationalis subiectum est gratiæ capax, humanitas enim Christi non caret hoc ornamento imò dixi esse probabilissimum quod gratia eius non solum substantialis sed etiam accidentaliter infinita est categorematicè, vel certè sit tale infinitum non est possibile certum est quod gratia illa est intensissima & in summo gradu quem Deus rationabiliter dare potuit filio suo dilectissimo, quem constituit caput omnis creaturæ, ac fontem ex cuius plenitudine accepturi erant omnes homines: Alterum subiectum in quo residet plenitudo gratiæ Maria est Deipara quam gratia plenam meritò Angelus esse dixit, quia sicut congregationes aquarum vocauit Deus Maria, ita congregationes gratiarum appellauit Maria. Angeli deinde plenitudinem habent gratiæ, omnes beati, omnes in terris amici Dei in quibus gratia fundat totam vitam supernaturalem, & radix est omnium bonorum.

Certum est secundò, causam formalem totius iustificationis ut sæpè dixi, esse gratiam hanc præcellentissimum omnium charismatum, per quam veluti animam constituitur homo ille supernaturalis & Deificatus, nisi malis dicere formam, quâ constituitur homo iustus, esse personam ipsam Spiritus Sancti nouo modo præsentem animæ: illius vnionem cum anima esse gratiam quæ huius præsentiae nexus est: intellectum esse in patria lumen gloriæ, in via lumen fidei, & prudentiæ: Deinde dona Spiritus Sancti pertinentia ad intellectum, donum scilicet sapientiæ, donum scientiæ, donum intellectus, donum consilij, Voluntatem esse habitum Charitatis Spei & aliarum virtutum ac donorum Spiritus Sancti quæ voluntatis sunt propria.

Certum est tertio, causam effectiuam iustificationis aliam

Subiectum
primam
gratiæ.

Causa
formalis
gratiæ.

Causa
effectiua
iustificationis.